

## DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

TAndem itaque in ultimo Articulo ceremoniali pedem fixere, ubi vehementer vociferati Pontificii de Privilegiis & immunitatibus Ecclesiastici status, Epilogum addentes: irrita esse omnia, quæ in præsentis articulo contra immunitatem Ecclesiarum & Sacerdotum proferantur.

Nostrates verò, ut & calumniam hanc à se averterent, & politicas ordinationes, & donationes Principum ac privilegia se non reprehendere testarentur, & qualem de potestate Ecclesiastica foverent sententiam, propalarent, veterè sibi partitionè potestatis pro patrociniò elegerunt, quæ potestas alia sit ordinis, alia jurisdictionis. Et hæc iterum vel Tyrannica, vel Regia. Habere itaque Episcopum potestatem ordinis, i. e. ministerium verbi & Sacramentorum; habere & jurisdictionis, h. e. autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & absolvendi cõversos, petentes absolutionem. Nõ vero habere potestatem Tyrannicam, sive sine lege; neque Regiam, sive supra legem. Habere ergò sic jus, etiã cõdendi traditiones, sed nõ tanquam necessarios cultus, verum, ut ordo sit in Ecclesia. Cum autem objicerent & hic Adversarii: 1. Qui vos audit, me audit, & 2. Obedite Præpositis vestris. Item. 3. Scandala publica & motus, exortos prætextu nostræ doctrinæ. Resp. 1. Contra traditiones facere, quia (1.) non sit mandatum cum libera, ut vocent, sed cautio de rato, de speciali mandato; quia etiam (2.) Christus suum verbum velit audiri, non traditiones. 2. Eodem ipso requiri obedientiam erga Evangelium. 3. Unum articulum (1.) de remissione peccatorum omnia scandala atque incommoda obruere, imo potius rationem (2.) Schismatis excitati reddendam Adversariis incumbere, scandala item majora (3) Adversarios manere. Atque sic tandem judicium omnibus piis permittentes, Apologiam suam finire.

## Repetitio Historiæ

## ARTICULORUM SMALCALDICORUM.

Pontifex Romanus, ubi, quis Comitiorum Augustanorum exitus fuerat, comperit, literas dat ad Regem Polonia, & omnino se sperasse ait,